...lius

Prokopowic Casimiri: Theatrum coronatae virtutis et sapientiae maximis laboribus et meritis.

THEATRUM
Coronatæ Virtutis & Sapientiæ,
maximis laboribus & meritis,
Perillustris, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. BASILII OLSZYNSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris,
Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ
Sancti FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam
CANONICI & CONCIONATORIS, CANCELLARII
Siradiensis, CURATI Nasiechovicensis,
Contubernij Sisiniani PROVISORIS.

SUBLIME,
&
Solenni Die suæ Responsionis,
PRO LOCO
Inter Perillustres, & Admodùm Reverendos Dominos,
Almæ Vniversitatis Cracoviensis,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORES,
obtinendo:
A
M. CASIMIRO PROKOPOWIC,
Philosophiæ Doctore, Collegij Novodvorsciani Rhetorices Professore,
exiguo votorum elogio,

ADORNATVM.

Anno Domini, 1691. Die 10. Mensis Iulij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

THEATRUM
Coronatæ Virtutis & Sapientiæ.

STupendum ſeculi negotium Gloria,
nunquam ita ſterili voto amicam coluit virtutem;
quin maximo honori ſociata nexu,
feſtivos ſibi in applauſum caneret triumphos,
aut mole perarduâ,
viſenda lætitiæ fabricaret Theatra.
Geſtiunt ſemper, cupiuntq́; in Orbis facie ſpectari,
quos magnus virtutis ardor, & arcano magnete honoris,
gloria traxit in triumphum.
Hic Orbis genius eſt,
nec aliam Superi ſtatuêre legem,
niſi, ut ibidem ſint æſtimati præmia honoris,
ubi ſunt maximis laboribus cenſa merita virtutis.
Livor ipſe etiam,
qui ſemper pulchræ detrahit virtuti,
dignum juſtumvé cenſet;
vt publico in Capitolium Orbis triumpho,
per ſacrum clivum feroces trahat Sicambros,
ipſe Pater Patriæ Auguſtus;
cujus heròám mentem & animum,
non otium, aut ſepultæ mora inertiæ,
ab excelſis gloriæ operibus retraxit.
Meritò Reginæ volucrum, Ioviſq; miniſtræ Aliti,
Sol concedit, inconnivâ oculorum acie,
purpuram luminis conſpicere,
& hoc liberiori aſpectûs auſu,
vix non ipſam comprehendere claritudinis majeſtatem:
nam priùs Aquilam nativo expulſam nido,
& Patrius vigor, & venti,
jam nimbis remotis,
inſolitos docuêre niſus.
Pulchrum agit magnifico Orbis Theatro,
inq́; aſpectu Aquilæ, idem Sol in meridie triumphum;
ſed tantò juſtiùs peragit ſcenam lætitiæ,

quanto

quantò operosiùs, post naufraga Oceani vada,
non uno laboris cursûsq; tramite,
maxima Cæli Olympia emensus,
altis gradibus luctatur in augem.

Etenim,

Nemini per naturam eminere concessum est,
quem ad terram usq; sudati non preßère labores.
Quanquam aliquando contingat repente alios inclarescere,
& ante vota fortunæ, felices beatosq; censeri:
fit tamen sæpius,
ut tam præcoci felicitatis sublati motu,
tristissimum calamitatis spectaculum exhibeant Orbi;
non alio futuri præsagio mali,
quàm veluti Pater luminis Phœbus,
si præcurrat in ortu suo vota hominum,
non ex vano agrestium augurio,
futuram tempestatem portendit.

Equidem

immortalitatem Nominis, Currus triumphales, fastosq; merentur,
qui non perfunctoriè, nec levi ære & pretio;
sed Athleticis, cogitatisq; per intervalla laborum operibus,
se in vultus Orbis exhibent, & pandunt:
ornat sæpenumerò immortalibus hos gloria ceris,
celsoq; honoris stant sibi colle penates,
quos clara virtutis posuère merita in fastigijs.

Hoc Tu

magnifico satis, Honoris & Sapientiæ,
immortalem hodie triumphum celebras Theatro,
Perillustris, Clarissime, & Admodùm Reverende Domine,

D. BASILI
OLSZYNSKI,

Divinæ Interpres Sapientiæ,

Magne Doctor:

qui longi per spiramenta temporis,
perq; deciduos labores,

in lu-

in ludis Sapientiæ; plùs quàm Olympicis
Sudans Athleta,
illâ virtute, & magnitudine animi,
quæ par est Heroibus,
nobilem gloriæ collegisti palmam:
Et ecce,
conclamante ad vota Honoris Tui, Vniverso Literati Orbis Senatu,
gloriosè triumphas.
Non est sine moderamine tumor,
neq́; sine legibus voluptas;
dare se in plausus & encomia;
si vota omnium conspirant in lætitiam.
Pulchrum in Te hodie spectamus triumphum,
jucundo omnium delicio,
& blando lætitiæ sensu;
ut cognoscat Orbis,
quid, & quantùm Tibi Gloriæ accesserit exinde,
quòd labore nonnisi & meritis Sapientiæ
Honoris Theatrum meruisti.
Non ordior
eluctatam ab Adolescentia per centum labores Tuam solicitudinem,
non revelo cultioribus linguis & Orbi,
capacem cujusq́; molis gloriæ animum,
non detego, quas domi Tuæ strenuè exercuisti Virtutes:
nam hæc omnia usq́; hodie,
maximo ordinatæ argumento vitæ,
& æterno fœdere junctа,
tantò feliciùs in Te eminent & vernant;
quantò Virorum Meritissime, Inclytæ Matris Academiæ,
in omnigena Scientiarum & eruditionis Palæstra enutritus,
expressiùs docuisti Orbem;
frustra marmoribus ad posteritatem transmitti famam,
vel disertis demandari linguis,
nisi eam moribus ingenuis, magnisq́; Virtutum decoribus,
immortalem reddas.
Sudâsti opere Athletico,
nec diu Te ex certamine clypeata expectabat Pallas;
& tamen

& tamen non præcocem, aut levi curriculo provectum,
ſed magno ambitu laboris Victorem conſalutavit.
Stetiſti dextro Hercule in arena,
licet non Cæſaris voto profectus;
Veniſti tamen, vidiſti, & viciſti,
magnâ felicitate & gloriâ,
contra Te moventem catervas prælio hoſtem.
Non miretur ſuperſtes fama,
Te hoſtilibus immixtum pugnis,
maxima ſine ſanguine geſſiſſe prælia,
æternos habitura triumphos?
Nam pulchra ingenij oſtentatio,
cultior Adoleſcentiæ fucus,
ſuccreſcentis blandimenta ætatis,
reſpectus, favorq; adſtipulantium,
otium, inertia, decor, voluptas, & grata commercia hoſtes ſunt:
tantòq; validiùs pugnant,
quantò magis ficto amicitiæ colore, & ſpecie tenus,
jucundo fraudis ſtratagemmate invadunt ſecuros.
Viciſti grandem hanc domeſtici belli Gigantonomachiam,
disjeciſti Virtute Tuâ blandientis cuneos malitiæ,
& pulchro docuiſti exemplo alios,
non ſolùm glorioſam virtutem eſſe;
ſed etiam immortalitatis trophæum,
placitis abſtinuiſſe bonis,
unde triumphales Laurus gloriæ ſurgant.
Certâſti, & juſtâ mercede Laureas à Matre meruiſti coronas;
jamq; Vir, doctæ ornatus folijs Minervæ,
iterum in Scholis Novodvorſcianis pulverem Olympicum
collegiſti Victor;
unde palma nobilis, rotis gloriæ fervidis,
Te revexit in ſtationem Minoris Collegij.
Salutâſti prodroma Virtute & labore honorem,
triumphans in Sapientia DOCTOR;
ſed ille Te magis complexus,
diù quidem beatis tenuit vlnis;
at non ſine purpura, & magni plauſu honoris;
ut conſpectior prodires in publicum,
veluti recoctum in ignibus aurum.

Verum eſt de Te dicere;

quia maximo Virtutum voto & exemplo,
cogitatum fugiebas honorem,
at ille Tua operoſa luſtrabat veſtigia,
& toties plauſum Tibi gloriæ dabat,
quoties Decanali Purpurâ Doctorem inſignivit.
Cogitant alij, longasq; non dormiunt noctes,
quomodo fortunati more Timothei aucupentur vrbes,
vel magna fortunæ donaria captent;
rarò tamen evenit, ut tantâ ſolicitudine ſe felices præſtet:
Alij eminentiæ & Honoris neglectu,
profundo ſepeliuntur receſſu, & fugiunt,
ſi comperiant ſe haberi in delicijs fortunæ;
hos tamen ſequitur honos, & invitat pulchri Gloria facti fugientes.

Tibi Vir ornatiſsime,

hæc induſtria, hæc mens ſolicita erat;
ut ſemper fugeres, & nunquam effugeres,
deprehenſus in Curſu gloriæ honorem;
quem Tibi Virtus paravit & Sapientia.

Majori Collegio,

ceu cuidam Gloriæ, Virtutis, & Sapientiæ Theatro datus,
quàm ingentibus meritis, & virtutum reſplendueris ornamentis?
teſtantur exedræ Sophorum, & fides publica diſcentium.

Sacro Theologorum adlectus Senatui,

quàm ingenioſo mẽtis Tuæ captu, Divinæ Sciẽtiæ myſteria ſcrutatus,
utramq; gloriæ adimplêſti paginam.
Omnes Te mirantur voto pectoris & laudant,
qui integer & ubiq; gloria Nominis idem,
præſtas, quod irrigui præſtant fluminibus fontes;
qui ſemper plenis aquarum rivulis fluunt,
& non deficiunt aquis.

Detrahit Virtuti Tuæ,

Perilluſtris, Clariſſime, & Adm: Reverende Domine,
qui Tibi Nomen Summi Eccleſiæ Doctoris
B A S I L I I,
& non etiam Virtutes adſtruit:

Iunxi-

Iunxisti quippe concionandi zelum, & veritatem doceñai,
tantâ utriusq; societate & vinculo;
ut & verbo Virtutes plantes, & altâ contemplatione sublimium,
magna sanctioris vitæ doceas exempla.

Verùm

altiùs assurge in Theatrum Honoris,

Sapientissime Doctor,

& alteri Te infer Orbi?
ut etiam vel in Latio, nullibi latens, conspiciaris Triumphator.
Erubescunt alij & pavent,
veluti capta oculis talpa, palmum aut ulnam progredi;
quia inopiâ virtutum, meritorumq; laborantes,
nihil habent in angulo,
quod luci publicæ inferant in admirationem.

Tu verò

Gloriæ & Sapientiæ Triumphator,
dives meritorum, nec virtutum inops,
satis domi Tuæ eruditas cumulâsti opes,
& illas satis in Augusto Romanæ Sapientiæ, explicâsti Theatro,
factus ipse Doctorum & Sapientiæ idea.

Vidisti Romam,

quam videre ad delicium humano generi satis est.

Et in Capite Orbis,

longiores non duxisti moras,
ne gestiret Roma, quasi Tibi de suo adderet decore ad Triumphum.

Quare,

jam togata prodeat Pallas,
jam doctæ Parnassi Deæ, Charitesq; Sorores,
dulcem Tibi in Cytharis recinant plausum,
nostrorum Corona votorum,

Magne Doctor.

Vicisti monstra enormia,
Cunctator ipse labore.

Ergo

Theatrum Honoris & Sapientiæ,
meritò possedisti.

Stabunt

Stabunt Virtuti Tuæ æterna Gloriæ trophæa,
fulgebunt perenni cultu & gemmis, Nasiechovicẽsis decora Sponsæ,
vincent immortales fastos,
Iuris abstrusi, Igołomiensis Ecclesiæ Privilegia,
zelo Tuo vindici,
impensis, magnisq; conatibus,
ex collisione partium in spem assurgentia:
& Tu tandem optatum recines triumphum.
Vives illustre Decus Vniversitatis & pretium,
dies palmares numerabis & annos,
sine mensura Honoris,
triumphabis Summis Tuis operibus,
magnificum præcelsi Honoris,
Virtutis, Gloriæ, & Sapientiæ,
factus ipse
THEATRVM.

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,
Magnifici, Perillustris, & Admodùm Rndi Domini,
D. M. FRANCISCI IOSEPHI
PRZEWOSKI,
S. Th: Doctoris & Professoris, Collegæ
Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium
Crac: PRÆPOSITI, Scholastici Curelovienśis, ad S.
FLORIANVM Canonici, Korczynen: Curati, Librorum
per Diœcesim Crac: Ordinarij Censoris, Canonizationis
Beati IOANNIS CANTII, Procuratoris, Contubernij
Hierosolymitani Provisoris, S. R. M. SECRETARII,
ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS,
Generalis, & Vigilantissimi
RECTORIS.